Ego Conradus Hildensheimensis episcopus Wirziburgensis electus et imperialis aulae cancellarius recognovi. Acta sunt haec anno ab incarnatione Domini millesimo centesimo nonagesimo IX°, indictione III, regnante domino Philippo secundo Romanorum rege glorioso, anno regni ejus secundo. Datum apud Algstetin pridie kal. februarii.

(Das anhängende Siegel iſt unverſehrt.)

*40. Erzbiſchof Siegfried (II.) von Mainz erlaubt dem Kloſter Walkenried von Laien in ſeinem Sprengel Zehnten zu erwerben, doch nicht über 500 Hufen. Ohne Datum [1200].

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Sifridus dei gratia sanctae Moguntinae sedis archyepiscopus universis, ad quos praesentis privilegii pagina pervenerit, aeternam in domino salutem. Licet omnibus ex injuncto nobis officio singulorum necessitatibus et justis petitionibus teneamur adesse, illis tamen specialius obligamur, qui jugiter in dei servitio persistunt, ut circa eorum necessitates vigiles sublevando existamus, quatinus per hoc ad dei servitium informentur. Noverit igitur universitas vestra, nos divini amoris et caritatis intuitu concessisse dilectis filiis abbati Heinthenrico de Walkenrithe et fratribus ejusdem loci, ut omnes decimas, quas de manibus laycorum nostrae dyocesis possint adquirere, suis usibus valeant apropriare, ita quidem ut laycorum illorum decimas aliquo tytulo prius possidentium jure penitus excluso, auctoritate nostra illas possideant. Nolumus tamen, ut haec nostra collatio summam quingentorum mansorum excedat. Ut ergo haec nostra concessio firma, stabilis et inconvulsa permaneat, eam tam praesentis privilegii patrocinio quam sigilli nostri munimine duximus roborandam. Hiis testibus Hermanno abbate de Northeim, Heinrico abbate de Reinhusen, Thetmaro praeposito de Winethen, capellanis Johanne sacerdote de Moguntia, Burchardo dyacono de Spire, magistro Willehelmo de Secestria, Johanne sacerdote de Gutingen, comite Wichero de Bilsten, Conrado de Rorberch,